



**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorivs
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges
Francorvm, Carolvm Martellvm, ...**

Gretser, Jacob

[München], 1613

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad Domnum Carolum Regem, in
qua continetur de Præda Persarum in finibus Græcorum facta, & de
discordia, quæ inter ipsos erat. XCIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

*diffame.
sur.

pedibus suis conculceret, & sua exaltatio in toto * profa-
metur mundo, tam de sua prudentissima regali victo-
ria, quamq; de sacratissima oblatione, quam in parti-
bus ipsis Beneuentanis B. Petro, fautori suo, puro cor-
de, ob nimium amorem, atq; sempiternam memori-
am, condonauit, vt dum ipse clauiger regni cœlorum
B. Petrus Apostolus, fautor & protector vester, in in-
tegro vestram suscepereit sacram donationis oblatio-
nem, digne valeamus in eius alma Confessione tam
pro vobis, quamq; spiritali filia nostra Domna Regi-
na, vestraq; nobilissima subole, fundere preces, vt per
multorum annorum curricula in hoc mundo regni
gubernacula frumentos in æthereis arcibus sine fine re-
gnare mereamini. In columem excellentiam vestram
gratia superna custodiat.

*Item exemplar Epistolæ eiusdem, Papæ ad
Domnum Carolum Regem, in qua continetur de Pra-
da Persarum in finibus Græcorum facta, & de
discordia, quæ inter ipsos erat.*

X C III.

Summ. 34.
Bar. &
Cent.

DO M NO excellentissimo filio, nostroq; spiri-
tuali Compatri Carolo, Regi Francorum, &
Langobardorum, atque patricio Romano-
rum, Adrianus Papa. Dum nimis in nostro pedore
momentis omnibus vester regnat amor, & multa no-
bis fiducia magna que gloriatio apud præcellentissi-
mam, atque à Deo promotam vestram regalem po-
tentiam existit. Conuenit nempe nos pro vestri præ-
cessi à Deo protecti regalis culminis sollicite cotidiè
inquirere salute, ut agnito, iuxta nostrum desideriū,
omnia

omnia prospera esse apud vestram excellentiam, summas sanctæ & indiuiduæ Trinitati, & dignas referamus grates. In quibus ad aures vestræ regalis potentiaæ intimantes innotescimus, de Constantino politanis partibus, quod in fines eius gens Persarum inuadentes atq; deprædantes venerunt, vsq; in locum, qui dicitur *Moria* à sexagesimo milliario eiusdem ciuitatis Constantinopolitanæ. Vnde & prædam magnam comprehendentes secum detulerunt, & sicut audiuimus atque fama fertur, Thius, Regis Persarum princeps, & dux excitui nefandissimo ipsorum existebat; qui dum reversus fuisset cum iniqua victoria, elatus in superbia mentitus est proprio nepoti suo, & ab eiusdem exercitu factus est Rex Persarum; & infra se tumultuantes pugnare adiuicem pro nepote & Thio dicuntur.

Nos vero petentes diuinam clementiam, crebro pro vobis die noctuque orare prorsus non desinimus, ut ad exaltationem sanctæ Dei spiritalis matris vestræ, Romanæ Ecclesiæ, & nostram perennem lætitiam, longiori æuo in triumphis, & celebri nomine regnantes una cum excellentissima filia nostra, & spiritali commatre Domna Regina, vestraque præcellentissima prole & sospites in præsenti vita, & in æterna beatitudine vos conseruare dignetur.

Incolumem Excellentiam vestram
gratia superna custodiatur.



r

Item